

Syrui labor regis ℥.j.

Aquæ boraginis ℥.iiij.

Misce pro vno, & sic pro aliis.

Post tertium syrupum, extractus sanguis è basilica dextri lateris, ad ℥.vij. sanguis niger, melancholicus & pituitosus valde, post quintum syrupum dedit hanc purgationem:

R. Cassiæ nouiter extractæ ℥.j.

Agarici præparati ℥.ij.

Misce cum zucchero bene eduxit, ita vt ad sensum etiam materiam ex capite descendere sentiret. Post sanguinis missionem & purgationem voluit vt nares & locum apostematis inungeret ter in die, tali linimento:

R. Succi solatri purificati ℥.iiij.

Olei rosati puri completi ℥.iiij.

Malaxentur omnia simul in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo, donec crassescant. Idq; per plurimum tempus, & per quatuor horas faciendum, donec linimenti spissitudinem assequatur, quo inungat alas narium intrâ & extrâ, & ipsum apostema cum penna ter in die, sicut dictum. Hoc vnguentum sanum visum est ei, & lenire dolorem fluxionis, & ipsum apostema mollescere. Post purgationem die sequenti vsus est ante prædium & cornam vnciam semis zacchari rosati. Sequenti die decoctionem suam ex elleboro exhibuit, cum sacchari sufficienti quantitate syrupizatam, & in sero lactis caprini, quod calores nimium metuerit, octo vicibus, non sex, vt alioqui solet. totum accepit, beneq; successit: eduxit enim 7. vel 8. vicibus per diem, sine molestia & lassitudine aliqua materias nigras & melancholicas. Post hos assumptos syropos, alumen adustum experiri voluit in loco affecto, vt videret, si quæ remedia fortiora ferre posset: sed id non ita statim succedere videbatur. Itaq; post absolutos syropos ad operâ manualē accedendū statuit, dum corpus purgatum esset. Vocatus Chirurgus, omnia experienda duxit, antequâ ad ignita cauteria accederet, quod malignitas vlcis supradictæ vnguento remota esset, ita vt causticis facillè cessurū videretur. Propter suspicionē igitur morbi Gallici, quod eo illū laborasse, nec bene curatum esse, vuula ablata & signa vlcis (licet sanata) in faucibus ostenderet, voluit vt ligni potum assumeret. Id factum iuxta ordinationem Montani: Chirurgus postea loco vnguenti applicauit emplastrum diachalcitis, & aliquot diebus post, pulueres quos arbitramur ex mercurio sublimato esse. Sed videbatur res vergere in deterius. Ideo Montani consilio Venetias abiit ad veterem Chirurgum Treuisanum. Is statim pro secundario decocto aliam illi aquam bibendam exhibuit, ex decocto certarum radicum, quam etiam inspergebat naribus primò: deinde aperuit eas aqua erodente, intincta in illa bombice, & imposita quatuor vel quinque vicibus: apertas deinde sanauit emplastro diapompholygos, ad sistendum affluxum: cauteria fecit in utroq; brachio, prope posteriorem partem humeri, vt diuerso magis per opposita fieret. Quia verò tumor qui sub naribus erat, pulueribus erodentibus, & vnguentis dictis cedere nolebat: vltimò adussit ære ignito, & postea subito cerussam coctâ adhibuit

A ad prohibendam inflammationē, deinde vnguento diapompholygos sanauit. Rubedinem verò relictam vnguento mastichino sustulit. Vltimò canaliculos plumbeos fieri curauit, quos naribus imponeret, ne meatus iterum obstruerentur, & vel similia vel deteriora causeret symptomata. Ita ex parte restitutum dimisit.

CONSILIVM CXIX.

Pro quodā Polono narium vlcibus laborante.

ECIPE Tutia præparata ℥.j.

Olei rosati,

Succi solani ana ℥.ij.

R Ponantur simul in mortario plumbeo, & malaxentur cum pistillo plumbeo tamdiu, donec habeant consistentiam conuenientem. Postea cum modico ceræ liquefactæ fiat vnguentum molle, & seruetur ad vsu. Aliud:

R. Sacchari ℥.j.

Salis communis ℥.s.

Aluminis rochæ ℥.j.

Misce, & distillentur in alembico.

Guttula vna immissa in pustulam, exiccat, sanat & incarnat.

Ad ambustionem faciei.

R. Corticum interiorum sambuci,

Olei rosati completi ana ℥.s.

Cerussæ ℥.s.

Misce, & cum modica cera fiat linimentum.

CONSILIVM CXX.

De angina methodus, seu potius de suffocatione.

PROBATVR ex Auicenna, si quis vult morbū rectè indagare, debet naturâ locorum affectorū cognoscere. Angina ipsa est in laringe, ibi sunt tot nervi, quot musculi: locus igitur est admodū cognitu difficilis, quare tractabimus iam secundum verâ methodum. Caput Auicennæ non est de Angina, sed de præfocationibus: ideo breuiter dicendum quid sit præfocatio. Arabes omne anhelitus impedimentum, præfocationē vocant. Duplex est autē modus exercendi nos: primus vt in praxi quando ad ægrum accedimus laborantem dolore gutturis, cum anhelitus impedimento, ibi non est accurrendum ad libros: sed debemus cognoscere ibi propriam ægritudinem, & quomodo lædit. Hic est modus exercendi particularis: alius modus est vniuersalis. Primò de causis vniuersaliter dicemus: fit iste motus anhelitus ab aliquo instrumēto (sunt hinc duo, locus & morbus, qui est impedimentum anhelitus). Sunt autem tria potissimum necessaria ad respirationem, quæ actionem faciunt. Instrumēta sunt musculi. Et quoniam dicimus inspirationem & expirationem, necesse est esse vias, per quas corpus ipsum transit: hoc igitur est secundū. Tertium, est virtus mouens. Vbi igitur vnum istorum tantū impeditur, erit anhelitus impedimentum: si duo, maius: si tria, maximum. Instrumentis sæpius impedimenta accidunt. Sunt autem instrumenta vnus solus magnus musculus, qui diaphragma dicitur, & musculi intercostales per se: hi mouent thoracē. Viæ